

2323

C O D I C E S

2324

et mart. *Julianum* illum Sec. IV. martyrem *Antinopolitanum* in *Aegypto* habeo, de quo *Bailletus* in *Vit. SS.* ad 9. Jan. 4. Oratio nota: *Salve Regina* rhythmicè *κατα λέξιν* expofita. Item

VII. B. V. *Gaudia* rhythmis, qui editi dicuntur *Anno domini M^o. CCC^o. XVI^o. a quodam cardinale. 5. Aureum Psalterium beate virginis, quod inchoat:*

*Te nunc in memoriam reuocem faluator.
Affit benigniffimus mihi confolator &c.*

aliique multi *Hymni* de Fidei Myfteriis, et Feftris SS. ut adeo *Codex* hic *Codici CXXXV.* geminus non contemnendum *Historiae Poematum Leyferianae* Supplementum videri poffit, variaque praebet ad temporis fui res obfervatu digna. In ejus principio haec manus posterioris nota jacet: *Anno M^o CCCC^o XXX^o VII.* obiit *adolphus dux montensis* cui *fulceffit domicellus de rauensb.* (Wilhelmus filius tertioq. electus Paderborn. et Colon. Ep. fed abdicator.) *Item XXXVIII^o.* obiit *Sigismundus romanorum rex imperator ungarie et bohemie rex. XIX die mensis marcij aelbertus dux austriae electus est in regem romanorum et eodem anno 2a feria post festum pasche electus est* — — . Reliqua extrita. Sed in summa fol. ora legitur: *Jeroboyfat clemens dum scribitur 1378.* Partes igitur *Urbani VI.* tuebatur Scriptor contra *Robertum Gebennens.* dictum *Clementem VII.* quem *Jeroboamo* confert.

DCXIV.

356 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 18. f. per duas co-

lumnas exaratus, olimque, ut ad calcem notatur, *Monachorum S. Marie in himmerode* (Hemmenrode, Himmelrode) *ordinis Cisterciens. Treuiren. dioc.* complectitur: I. *Bernardi Monachi Cluniacensis*, quem quidam, ut videre est in *Tanneri Bibl. Brit. Anglum* volunt: alii *Morlanensem, Morlacensem*, aut *Morvalensem* a *Morlaco, Morlas* vel *Valle Morienne* in *Gallia* adpellant, Scriptoris Sec. XII. *Libros III. de Contemptu Mundi* miro artificio versibus hexametris dactylicoleoninis fluidissime compositos, qui prorsus alii sunt ab elegiaco *Carminē de Contemptu Mundi*, quod *Gabr. Gerberonius* inter *Anselmi Opera Paris. 1721. f. p. 195.* vulgavit, quamvis et istud *Oudinus T. II. col. 1276.* non aegre *Bernardo* nostro tribuat, qua in re nescio, an multorum suffragia tulerit. *Gerberonius* certe nihil adferit in *Censura praeuia*, nisi in *Mj. Bibl. Aldenburg. Carmen de Contemptu Mundi* tribui *Bernardo Cluniacensi*, quod utique de III. *Libris* nostris intelligi potest. Nacti sunt hi, cum multo sale corruptos etiam *Cleri* mores perfricent, Editio-

2325.

A S C E T I C I

2326

Editores in *Germania* Protestantes, et primum quidem *M. Flacium Illyr.* inter *Varia doctor. piorumque Viror. Poemata*, *Basil.* 1556. p. 240. 8. dein *Nathan. Chytraeum*, *Bremae* 1597. demum *Eilbard. Lubinum* 1607. f. l. 8. et pluries. Multa in his Editionibus variant; alias etiam Lectiones e fragmento *Mf. Bibl. Helmst.* dedit *Polyc. Leyserus* in *Hist. Poet. et Poem. med. aevi* p. 413. neque ego ἀσυμβολος destituam *Codicem*. Orditur ille a *Prologo* directo ad *Petrum Mauritium* dictum *Venerabilem Abbatem Cluniacens.* qui incipit: *Quod ad aures publicas siue ad multorum ora profertur &c.* Doluit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. L. II.* p. 233. Prologum hunc non fuisse descriptum ab *Oudino* e *Cod. S. Victoris Paris.* At cur descripsisset jam editum, non quidem a *Chytraeo* et *Lubino*, qui illum ignorarunt, sed a *Flacio*, cujus editionem neque hos, neque *Fabricium* unquam vidisse oportet. *Flacianam* igitur editionem cum *Cod. nostro* contendam. Fl. *correctione et accurate absoluere iudicio.* *Cod. correctione accurandum, absoluendum iudicio.* Fl. *Si non uero superbum spirans.* *Cod. omittit non.* Fl. *in illis et ab illis.* *Cod. in illis et cum illis et ab illis.* Fl. *positionem structuramque aemulari ac sequi.* *Cod. positionem emulari, sequi structuram.* Fl. *liberalis mens semper uel animus.* *Cod. semper liberalis animus.* Fl. *utrumque per-*

placet et iucunda &c. *Cod. habet utrumque Horatii* versum: *Aut prodesse — dicere uite.* Fl. *digestum ediscitur.* *Cod. edicitur.* Fl. *Quod fit, dum specie.* *Cod. Quo fit, ut dum specie.* Fl. *ad exercitationem.* *Cod. ad exhibitionem.* Fl. *qui solerter contemplatur.* *Cod. qui sollicitus.* Fl. *Bona vox tua.* *Cod. Sonet uox tua.* Fl. *Aperi os tuum quod implevit.* *Cod. Aperi os tuum et ego adimplebo illud.* *Aperui ergo os meum quod implevit.* Fl. *illam peccatricem.* *Cod. illam beatam peccatricem.* Fl. *hoc metro tantum colorauit uersus.* *Cod. hoc metro quatuor tantum &c.* Fl. *quo uix illi paucissimos.* *Cod. quo illi paucos imo paucissimos.* Fl. *haec etiam quia et de hoc apud uos &c.* *Cod. hoc etiam quia apud uos &c.* Fl. *materiam indixerim.* *Cod. indiderim.* Fl. *Deus pacis et discretionis.* *Cod. dilectionis.* Illa, quae melius legit *Flacius*, praetermitto; verum, cum ille contentus, quidquid potuit, in odium Cleri Romani corradere, parum de corrafis illustrandis laboraverit, addo, *Hildebertum de Lavardino* a *Bernardo* nostro adpellatum, esse *Cenomanensem* illum Episcopum et postea *Archiep. Turonensem*, cujus anno 1139. defuncti *Opera Parisiis* edidit 1708. f. *Antonius Beaugendre* O. S. B. De altero, quem pariter adpellat, *Wycharo Lugdun.* Canonico infra videbimus. Nunc ad ipsum *Carmen*, cujus *Liber I.* sic orditur:

2327

C O D I C E S

2328

*Hora nouissima, tempora pessima sunt, uigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus &c.*

Juvat et hic specimen dare colationis inter editionem *suprac. Lubini* tanquam castigationem et nostrum *Codicem. Lub. pag. 1. quotque potestis. Cod. quique. Versum, quem uterque legit:*

Detur egentibus, alta parantibus ima parentur,

rhythmus legi exigit:

Detur egentibus, alta petentibus &c.

Lub. *Hinc chorus impius et neque sobrius. Cod. indeque sobrius.* Lub. p. 2. post: *præduce Christo* deest hic v.

Perdita crimine planget in ordine turba sinistro,

quem tamen *Flacius* habuit. Lub. *Hostis ab ensibus. Cod. ab ausibus. Lub. delubra castra. Cod. menia castra. Lub. aut furor aut lis. Cod. aut timor aut uis. Lub. aut tumor aut uis. Cod. aut furor aut lis. Lub. p. 3. singula flemus. Cod. gaudia flemus. Lub. huic manus altior. Cod. hinc manus altior. Lub. p. 4. Fortis habere. Cod. Fortis habebere. Lub. arte sequeris. Cod. arce. Post v. Et patris illius o sonus &c. versus 20. in Cod. defunt. Lub. p. 5. pax pia sanctis. Cod. pax ra-*

ta. Lub. Et huc, luctibus. Cod. Vi, huc, luctibus. Lub. grataque punctio. Cod. non recreatio. Atque pauca haec satis demonstrant, quae spes sit totius Opusculi e Cod. nostro perficiendi. Liber II. et III. incipit et finit, ut in Editis.

II. fol. 18. *Ad episcopum depositum.* Carmen constans 30. Versibus, quorum tamen unus excidit, eodem modo, ut praecedens, constructum. Quod, cum nullibi impressum legerim, hic adscribam:

*Si tua regula non foret emula pontificatus,
Quis melioribus esset honoribus amplificatus?
Namque scientia pene per omnia dicta ualere
Esset amabilis, et satis utilis hec reticere.
Sed bona talia ceperat impia pestis adire,
Illa superbia que facit omnia uana perire.
Quid tibi profuit illa, uel obfuit, ipse probasti
Per mala singula suae pericula, que tolerasti.*

Jam

*Jam tibi syria, magnaue grecia displicuerunt,
 Que noua fercula, grataque pocula non tribuerunt.
 Inde libentius ad maris istius arua ruiſti;
 Nam fore dulcia noſtra cibaria iam meministi.
 Non ſine crimine pulſus ab ordine pontificali
 Viſ modo ſurgere non ſine crimine Symoniali.
 Hec tibi ciuibus urbis ab omnibus impropertantur,
 Cum ſacra predia per tua premia diripiantur.
 Sed tua premia ſemper inania nil ualuerunt;
 Nam tibi proſpera talia munera nulla dederunt.
 Per tua munera percutis aera nil operando,
 Per tua munera deſeris ethera preuaricando.
 Jam patet omnibus iſtud agreſtibus, haut fore dignum,
 Pontificalia uelle ſedilia quemque malignum.
 Quod cupis, omnibus eſt fugientibus hoc tribuendum.
 (Hujus verſus ὁμοιοτελευτον deeſt)
 Deſere (deſine?) querere, quod tibi ſumere lege uetatur.
 Deſine querere, quod cito perdere non dubitatur.
 Plana locutio, ſed (nec?) grauis actio te comitatur,
 Que ſimulatio, non operatio, recte uocatur.
 Hec lege ſepius et ſtudioſius, ut tua cura
 Non petat amplius immoderantius hec ſacra iura.*

Autorne *Bernardus Morlanenſis*?
 Quis uero exautoratus hic *Episcopus*,
 certe occasione *Cruciarum* in *Graeciam*,
Syriamque delatus? Dicant, qui in *Exem-*
plum Nominibus inſignitum inci-
 derint.

III. fol. eod. *Reſponſio pre-*
dictis verſibus. Inſcriptionem hanc
 vagam exiſtimo; non enim de-
 fenſio eſt impetiti *Episcopi*, ſed
 mera *Monachorum* criminatio,
 quam ſine *Autoris* nomine in *Col-*
lect. ſuprac. p. 489. primus edi-
 dit *Math. Flacius*, et *Fabricius*
Bibl. med. Lat. L. VII. p. 111.
 ex eo repraeſentavit ſub *Gualo-*
nis Cambrobritanni nomine, qui
 circa an. 1160. aut 1170. cla-
 ruiſſe dicitur. *Eidem* tribuit et

Leyſerus in *Hiſt. Poet.* p. 434.
 et *Tannerus Bibl. Brit.* p. 352.
 omnes ſecuti *Job. Balei* *Catalo-*
gum Cent. III. p. 214. n. 5. cu-
 jus fides, vel ipſo *Wbartono* te-
 ſte *Praef. in Angl. ſacr. T. I.*
 non raro vacillat. Itaque et
Beaugendreus *Satiram* hanc inter
Marbodi Ep. Redonenſ. *Carmina*
 ad calcem *Opp. Hildeberti Ceno-*
manenſ. *Paris.* 1708. col. 1629.
 reproduxit. Quid uero, ſi po-
 tius ad *Wycardum* vel *Wichar-*
dum Canon. Lugd. pertineret?
 Scripſiſſe illum *Satiram* in quos-
 dam eodem, quo ipſe, metro
daſtylico leonino, verſuum plus
 minus triginta perhibet in ſuo ad
Petrum Abb. Prologo ſupracit.
Bernardus Morlanenſis, extare
Vichardi

2331

C O D I C E S

2332

Vichardi Carmen Satyricum contra Monachos in *Biblioth. Regiomont.* testatur *Fabricius* L. XX. p. 291. Atqui haec omnia Carmini nostro ad amuffim quadrant. Neque obstat, quod apud *Fabricium* dicatur *Flacius* illud e veteri *Cod.* descripsisse. Hoc enim ipso, quod *Vichardus* in ejus *Collectione* nomine suo non compareat, manifestum videtur, ferius eum, et post *Collectionem* jam

vulgatam in exemplar *Vichardi* nomen praeferens incidisse. Praeterea Autor in exordio Carminis duos Episcopos Gallos, *Hugonem* nempe *Diensem* et *Hugonem* (ut melius legit *Tannerus*, quam *Ottonem*, qui nullus fuit) *Suessionensem* adpellat, quod utique de *Vichardo* homine Gallo, quam *Gualone Cambro*, credibilis. Ita enim legitur in editis:

Quam (Satiram) quia uir magnus corroborat Hugo Diensis Noster amicus eam legat Otto (Hugo) Sueffionensis.

Pro quo in Codice:

Quam quia pastores commendant ecclesiarum Summus eam pastor corroboret ecclesiarum.

Optime nodum inciderit, qui τὸ ἀπογραφὴ *Regiomontani* Versus initiales protulerit. Ceterum *Hugonem* illum *Diensem* primum hujus nominis habeo, qui ab anno 1080. ad an. 1099. *Hugonem* vero *Suessionensem* secundum hujus nominis, qui ab anno 1093. ad an. 1103. sedem tenuit. *Bernardus* namque *Morlanens.* in *Prologo* saepius cit. ita de *Vichardo*, ejusque *Satira* loquitur, ut adpareat, satis temporis ab hoc usque ad illum effluxisse. Sed jam collationem *Satirae*, prout

in nostro *Cod.* legitur, cum Editis perfequamur. *Flac. Pura Cibararia.* *Cod. Dura.* *Flac. invigilabant. piabant.* *Cod. invigilabat. piabat.* *Fl. Ecclesiastica comparat omnia dona.* *Cod. Comparat omnia spiritualia dona.* *Fl. Distichon*, quod finitur *sensu*, *censo*, abest a *Cod.* Alterum; quod finitur *causa*, *clausa*, in *Flac.* secundum versum habet: *Clamat ad ostia spiritualia jam sibi clausa*; in *Cod.* *Intrat ouilia desuper hostia iam sibi clausa.* Sequitur in *Cod.* *Distichon*:

Ordo monasticus ecclesiasticus est moribundus. Insatiabilis, irreuocabilis, et furibundus.

quod *Fl.* non habuit. *Fl.* ad v. *Terra pecunia &c.* pariter non habuit ὁμοιοτελευτον:

Unde superbia siue potentia magnificentur.

Distichon

2333

A S C E T I C I

2334

Distichon sequens cum Cod. ita scribendum:

*Lucifer extulit, at Deus expulit et cruciatur.
Vana superbia, quid per inania ludificatur.*

Versus 6. ultimi in Cod. defunt. xemplar habuisse videtur, cum a
Sed neque *Flacius* integrum E- *Tannero l. cit.* versus hic:

Praesul amabilis ac venerabilis Hugo Diensis

adducatur, tanquam inter postre-
mos.

III. fol. eod. *De gente pata-
rina.* Carmen est hexametrum leo-
ninum daetylo et spondaeo alter-
nans in Sectam Hominum Sec.
XII. parum fortasse ab *Albigen-
sibus*, *Waldensibus*que diversam,

fed, ut studiosa olim erat Hae-
reticorum *Ἵνοματοποιία*, distin-
cto *Patarenorum* vocabulo com-
pellatam, de cuius *ἔτυμῳ* varia
Lexicographi. Addam et istud,
cum, typisne commendatum sit,
ignorem.

*Tempore verno colle superno quando manebam
De patarenis crimine plenis multa uidebam.
Vnde dolorum cura meorum multiplicatur
Atque uidendo que reprobando mens cruciatur.
Ni patarenis musa rebellis carmina fingat
Atque ruinis hos inopinis undique cingat.
Est patbaristis uisio tristis. uox lacrimosa
Est in eorum fons uitiorum mente dolosa.
Est patarenis plena uenenis lingua nocendi.
Et patarenis est sine frenis ardor habendi.
Denariorum non meritorum premia querunt
Esse rapaces atque tenaces disposuerunt
Accipiendo nil tribuendo sunt opulentes
Dum coaceruant que male seruant sunt macilentes.
Et cor eorum nil habet horum que simulantur
Sepius orant. flendo laborant ut uideantur
Ecclesiarum dona sacrarum sepe latentes
Et male uendunt et reprobant illa parentes (sic)
Refla locuntur praua secuntur decipientes
Simplicitatis et pietatis nomen habentes
Sed dolus ingens talia fingens est periturus
Cum simulator fraudis amator sit moriturus
Atque iuuamen per medicamen turgida rana
Cum documentum dat sapientum turba profana*

B b b b 3

Atque

2335

CODICES

2336

*Atque ferocis pelle leonis gaudet asellus
 Cum meliorem sumit bonorem quis patharellus
 Vt pharisei sunt pathareni semper ubique
 Quos toga uelat que mala celat gentis inique
 Vt nec amandi nec tolerandi sunt pharisei
 Sic reprobandi non imitandi sunt pathareni
 Namque bonorum siue malorum cognitor odit
 Quos scelerosos iure perosos actio prodit
 Quos notat index ultio uindex tempore finis
 Quando paratur quando minatur mors patarinis.*

Haereo, an *Bernardo Morlanensi* tribuam. Subjecit Librarius:

Explicit iste liber sit scriptor crimine liber.

Ad calcem Codicis compactae sunt Membranulae duae, quarum priore testatur *Petrus Inbel de Lichternach* Presbyter se a *Chilmano de Wickebe* Abbate et Conventu in *Himmerode*, Ord. S. *Bernardi* eorumque Provisore *Petro de Wickebe* accepisse debitos sibi XV. Rhenenses anno Domini M. CCCC. XII. Dominica qua cantatur letare Iherusalem. Altera Scabini Oppidi in *Bydeberg* *Henricus miles prepositus*, *Herwardus dictus Waller iusticiarius*, *Johannes de Fore*, *Nicolaus dictus Voit*, et *Johannes dictus de Milmbach* et *Dilkinns* promittunt *Henrico* seniori filio *Henzekini* iuxta portam *Conscabini* sui Coenobium *Himmerodense* ingressuro post Patris mortem legitimam Bonorum portionem. Datum Anno Domini M. CCC. Vicesimo quarto feria quarta post Dominicam qua cantatur, Cantate Domino.

DCXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 186 XV. Folior. 157. f. Opuscula a diversis scripta continet, ut sequuntur: I. *Nigelli* (non *Vigelli*, ut in quibusdam editis) *Wekerer*, *Wireker* s. *Wirecher Cantuariensis*, Monachi et Eccl. *Cantuar.* Praeceptoris, qui circa an. 1200. claudit, *Brunellum* s. *Burnellum*, vel *Speculum Stultorum* carmine elegiaco ab ipso non sine ingenio et salibus scriptum, sed hic *prosa* redditum, quod certe rarum, ut ex *Oudini*, *Fabricii*, *Tanneri* et aliorum, qui de Autore ejusque *Speculo metrico* agunt, silentio planum fit. Praefationis inscriptio miniatata est: *Incipit prologus in Speculum stultorum*. Duplex est in editis, ut docet Exemplar *Coloniense* anni 1499. 4. mihi objacens, Prooemium, oratione *prosa* unum directum ad *Guilhelmum* postea *Eliensem* Episcopum, quod